

_Lettera_N_3089

Al papa Leone XIII

Aff.mo amico Sac. Gio. Bosco

Beatissime Pater,

Datum Augustae Taurinorum die 16 octobris 1879

Joannes Bosco Piae Societatis Salesianae Rector Major ad Pedes Beatitudinis Tuae provolutus pro eadem pia Societate humillime exponit:

Haec Congregatio cum absolutam adprobationem a Sancta Sede consecuta est, statim more aliarum Congregationum Privilegiorum communicatio petita fuit. Sed responsum est: communicationem privilegiorum prout petitur non expedire. Pro ratione dabatur nimis recentem esse adprobationem, ideoque Privilegia magis necessaria speciatim esse petenda.

Quapropter nonnulla Privilegia quae magis magisque sunt necessaria ut Salesiana Congregatio finem suum consequi possit, necnon lucrum animarum promovere, sequentia Privilegia postulantur:

1° Superiores domus possunt divinum officium commutare in favorem illorum, qui laboribus onerantur, praecipue tempore Missionis, vel cum subditi graviter sunt defatigati, aut non levi morbo laborant. 2° Superiores cujusque domus congregationis omnia munia Parochialia exercere possunt erga omnes habitatores domus. Hinc omnes salesiani Presbyteri jam ad audiendas sacramentales Confessiones in aliqua Dioecesi approbati, sola superioris deputazione hujusmodi habitatores aliosque de familia in confessione audire valent. Idem confessarii socios secus iter habentes absolvere possunt etiam extra dioecesim in qua extat domus, praecipue cum ad exteris missiones proficiscuntur, vel in regionibus semi barbaris sacrum ministerium exercent.

3° Habita ratione temporum, et magnae penuriae sacerdotum, praesertim eorum qui ad exteris missiones mittendi sunt, clerici salesiani dummodo necessariis praediti sint requisitis, extra tempora a sacris canonibus statuta, Ordines tum minores tum majores suscipere possunt, servatis servandis, etiam quoad interstitia, quorum dispensatio semper ad Episcopum ordinantem spectabit. Haec duo ultima Privilegia jam concessa fuerunt ad tempus, quod lapsum est die vigesima prima Aprilis anni currentis. Ideo hujusmodi Privilegia cum salesianae Congregationi summopere sint necessaria, quibus ceterae congregationes Ecclesiasticae generatim gaudent, humiliter et enixe petitur ut confirmentur, atque si bonum in Domino Sanctatis Tuae, Beatissime Pater, judicaverit, in perpetuum exetendantur.

Inter Congregationes, quae suprascriptis privilegiis fruuntur, adnotare juvat Congregationem Piorum Operariorum. Brevi 24 Maji 1751 sub Benedicto XIV. Clemens XIV Brevi: Supremi Apostolatus pro Passionistis. Itidem Leo XII die duodecima septembris 1826 pro Oblatis Beatae Mariae Virginis. Tandem pro Congregatione Missionis Pius IX. Brevi: Religiosas Familias 13 Maji 1859

Joannes Bosco Sacerdos